

pit. P. HENRIC. ROTT., *Missionar. in Mogore.*

*Aurum Tolosanum.*

Aurum Tolosanum dictum inde, quod, cum oppidum Tolosanum in Gallia Q. Cæpio Consul diripisset, multumque auri in ejus oppidi templis fuisset, quibus ex ea dirptione aurum attingit, misero exitu obiret. GELLIIUS, l. III. c. IX.

*Galli Regis jactantia.*

Cum Carolus V. Regi Galliæ scribens, longos titulos a suis Provinciis præfigeret titulo ad multas lineas, Franciscus I. tantumdem spatii occupavit, eodem Gallia nomine repetito: Franciscus Rex Gallia. RAYNAUD in *laud. brev.* §. 2. n. 4. etc.

*Ferculum pretiosum Cæsari oblatum.*

Æneas Silvius narrat, Carolo IV. Imperatori data a cive Pragensi, accepto chirographo, auri nummum centum millia mutuo; postridie civis invitatus ad epulum, lauteque habitum, illata mensa secunda, et etiam chirographo securitatis inter bellaria in lance aurea Cæsari proposito, ita loquitur: « Reliqua Cæsar, tibi ac Principibus tuis fere communia ferula; hoc vero solus Caroli Imperatoris est, non item Optimatum, aurum, quod mutavi nudius tertius, tibi dono, omnemque debitum remitto. » NADASI in *anno mor.* hehd. III. n. 5.

*Ferrarum captiores vita non privandi.*

Ferdinandus I. Imperator præcepit, ut ferarum captoribus oculi eruerent; cum vero reo id supplicium esset aliquando inferendum, revocavit edictum, ut inhumanum: neque enim decere, ut fera causa homo vitam aut oculos amittat; si enim quempiam fortunis mulctet, posse illas a se restitui, non item vitam, vel oculos. ZEILER. *collect. in c. III.* p. 2.

*Crudelitas punita.*

Micha Archiepiscopus Salisburgensis virum egenum, qui cervum agello suo noxium confecit, et cum suis absumpsit, in cervi illius pellem consui, et in forum duci jussit, ut ceu fera inibi a canibus laceraretur. Sed ipse altero die in venatione ab equo in morbum lapsus obiit. Id. cent. 2. ep. 28.

*Sapiens astus judicis.*

Carolo Calabriae Duci nobilis fuit accusatus, quod virginem vitiasset; is non negavit, aiebat tamen, id illa etiam volente factum. Dux ei centum florenos pendit a nobili jussit: clam tamen nobilem eundem subornavit, ut puellam inde discedentem invaderet, ceu pecuniam ablaturus. Quod dum facit, illa oblectatur, clamat, et ad Ducem judicem redit. Is puellam increpat, et si ita fuisset, ait, vim inferenti pudicitia oblectata, facile fuisse evasuram; et nobili jussit pecuniam reddi. Id. cent. 2. ep. 87.

*Pudor studiorum fomes.*

Sueno Episcopus Arnhusia in Norwegia initio fuit Regis sui Sacellanus admodum indoctus. Unde ejus æmuli ut cum ludo haberent, in oratione illa: *Deus regem famulum tuum protege*; syllabam, *fa*, eraserunt. At ille rudis litterarum, semper legebat: *Regem mulum tuum*. Id ubi postea rescivit, adeo fuit commotus ac pudefactus, ut studere cœperit, et brevi ita profecit, ut omnes superaret, et postea omnium consensu Episcopus fieret. Ibid. ep. 83.

*Judex mirabilis.*

Fuit judex, qui omnes lites alearum jactu decidit; et tamen ausus est contendere, sua judicia æque justa esse, ac Curia Parisiensis. Ib. ep. 57.

*Canis rex constitutus.*

Gunnarus Rex Sueciæ Reginaldum Norwe-

giæ Regem jam senem vicit. Et ut Norwegis metum et timiditatem vel incuteret, vel exploraret, canem eis præfecit, ac ministros constituit, qui omnia canis nomine ceu regis administrarent, sanxitque capitis poena, ut pares regibus honores cani deferrent. Ib. cent. 5. ep. 2.

*Conspiratio crudeliter punita.*

Iwan Basilieviz, Moscovia Dux crudelis socio conspirationis contra se anno 1567. inito omnes delevit, cum familia, uxore, liberis, servis, pecudibus, canibus, felibus, ipsis in aqua piscibus, et quidquid erat illorum; cumque milites pulchro infanti peperissent, ipse infantem, ante eunus suaviter milites ardentem, ad seallatum primo complexus, et osculatus, dein ter cultro confossum occidit: milites vero illos post infantem e fenestra ursis et canibus objectum, pariter occidi jussit. Ib. ep. 21.

*Concio de Passione causa Judeorum cesorum.*

Anno 1350. Egre quidam Franciscanus cum feria V. Cœnæ Domini de Passione Christi fervide concionaretur, forte præsens miles rudis ita exanduit, Christum ab impiis Judeis tantum passum, ut eas injurias ulturus sub concione altare conscenderit, et deinde arrepto crucifixo vociferans populum rogavit, ut secum Christi mortem ulcisceretur, se duces fore. Inde populus gregatim illi se associans omnes Judeos occidit, et spoliavit, et prædam inter se divisit: libros Magistratui tradidere, qui etiamnum exstant. Hæc quamvis fierent inscio Magistratu, tamen Bohemia Regi aliquot millia florenorum mulcta nomine pendere debuerunt. ZEILER t. V. ep. 63.

*Latro crudelis.*

Anno 1361. Gert Birnbaum Saxo septingentos a se occisos fassus est non pecuniæ causa, sed ut venustos homines videret, quales in morte essent; alios occidit ut hostes, ut sibi nomen fortis crearet. Obit sine confessione et dolore. Fractis membris rotæ vivus est alligatus, in qua triduum vixit. Si

monebatur, ut de peccatis doleret, dicebat, se dolere, quod non plures occidisset. Ibid. ep. 99.

*Simulata fidelitas fructuose.*

Talis Falsobordone Concionatori e familia S. Francisci Mediolani loculum obtulit, in quo fuere 300. scuta, quem se dicebat in via reperisse: et forsitan fuisse illum a Dæmone positum ut suum sibi meritum auferret. Statusse enim se ac novisse, quod corrogata stipe vellet peregrinationem obire, rogare se, vellet e Cathedra populum commonere, si quis loculum amississet, editis legitime signis ab ipso repeteret. Dein rogabat, ut vellet suam inopiam simul et fidelitatem populo commendare. Fecit id orator liberaliter; nam mendicus ille multam inde stipem sequenti die accepit. Princeps etiam ipse, intellecta hominis fide, tantum illi pecunie dedit quanta his inventam fictæ pecuniam superaret. Sic actis gratis fraudatorum discessit. Altero die adfuit ejus socius, ad hoc subornatus, mercatoris habitu, qui explicatis rite signis omnibus trecenta scuta recepit, qui ad duos illos nebulones spectabant. SCHIRMER, to. III. *not. profan.*

*Exemplum aliud.*

Civis Camerinus in patria sua civibus impositum, socium sibi adscivit, qui cum in temere compacto curru et carro, ut ægrum, involutis tibiis, brachiis, et toto corpore in urbem pertraheret. Ab eo igitur fuit tractus in templum Cathedrale, et positus in sacello aliquantum obscuro S. Venantii, ibi et miserias explicare; addebat post multas ambages, eum hominem esse sanctum, lepra oblitum, aliisque morbis, alios tamen vi suarum precum sanasse. Aiebat, illum futura et occulta agnoscere, ac predicere, dicebatque illum vocari beatum Thomam de Affarante. Muliercule curiosæ et credulae multa post allatam stipem cum Georgio (ita vere æger simulatus vocabatur) loquebantur. Omnes ipse nosebat, etsi omnibus ignotus, loco præsertim obscuro, et veste alia. Eis dicebat, que volebant de rebus præteritis, et inde etiam futura presagebat, dicebatque verisimilia, ita mihi et placito sermone omnes a



se demittebat recreatos. Inter alias mulieres etiam uxor ejus adfuit, ignara, se cum marito loqui; cui ille submissa et gravi voce respondit: « Scito maritum esse saluum, et sanum, et paulo post domum cum multis opibus reversurum. Is cum a te discederet, quatuor scuta seu coronatos in parvo scrinio cubilis tui reposuit ad dexteram, prope lectum, quos credo illic reliquisse, ut inde tua necessitati consuleret: sed postea fuit oblitus. Tu modo domum redi, et absconditam pecuniam quære; quod si mea peccata non faciunt hac vaticinandi gratia indignum, reperies, ut dixi. » Mulier egressa avide reversa, ubi pecuniam eo loco reperit, læta viciniam omnem complet fama veræ predictionis. Unde crevit Georgio auctoritas, fuitque tantus ad eum accensus, ut necesse fuerit baculo multitudinem coerceri: cum felicem se crederet, si henisset eum aut videre, aut tangere, pecuniæ, vestes, eleemosynæ tanta copia afferebantur, ut eis capendis, et reponendis locus deesset. Matriona quædam pretiosam vestem cum variis ornamentis ad quadraginta coronatos dedit, et sic alia plurimæ. Ita ditatus simulator aliquando noctu clam se subduxit, et male partis, posita persona truebatur. Idem ex RAPHAEL FRIANOR. c. VIII.

#### *Hospes astu delusus.*

Hispanus, cum solvere hospiti symbolum deberet, ei, si sine pretio dimitteret, promisit artem traditurum, qua posset ex eodem dolo tria vini genera educere. Itaque postulans terebram, accessit ad dolum, ac primo foramine facto, jussit hospitem opposito digito dexterae manus id tantisper obstruere, donec et in altera parte id faciat; quo facto jussit et sinistrae manus digitum foraminis apponere; demum in medio quoque cum fecisset foramen, os jussit admoveere: quo facto aufugit. LAUR. FERER. in M. S.

#### *Sermones hominum sensim deficiunt.*

Quidam ardentem quidpiam expetebat, sed famam, et hominum sermones timuit, cujus timori ut mederetur socius, tale quid commentus est: « Asinum, inquit, habemus, quem a pictore curabo viridi colore pingi. » Sic asinus pictus dum per urbem ducitur,

spectatores habuit, et comites pueros, et puellas; sed et senes erant curiosi. At cum asinus Aliquot dies per easdem vias circumduceretur, tandem et spectatores amissi et comites. Tum alteri: « Vides, inquit, plebis mores? Aliquot dies rem novam mirantur, paulatim minus, tandem mirari, et curari desinunt. » SCHRAMBEK not. t. III.

#### *Credulitas crudeliter vindicata.*

Altobellus, civis Tudertinus suo patriæ bellum intulit, et expugnavit, civis vexavit, et mactavit plurimos, vicina oppida etiam diripuit. Tandem a Pontificis exercitu victus est. Ipse in penam publico loco tabulæ affixus fuit, ut illum lederent, quot ab illo erant lesi. Accursus ingens, multis, prographis, et cultris, dentes fuere, quibus eum dilaceraverunt; oculi eruti, viscera extracta; mortui tandem caro in macellum deportata, dissecta, et ad pondus iis, qui nondum satis ulii erant, divendita. Idem.

#### *Vindicta servi crudelis.*

Majoricensis civis servo severius castigato peregre profectus est. Regressus domum in clausam reperit, servum videt in suprema domus parte cum tribus filiis, et uxore vincla. Ac primo unum e filiis præcipitat, spectante patre, dein et alterum, post et conjugem heri dejecit. Tandem clamat, si pater filium ultimum velit salvum, nasum sibi amputet. Id cum pater fecisset (alii referunt, plura membra patrem amputare jussum paruisse), servus irridens, seipsum tandem præcipitavit. PONTANUS l. III. *de obed.*

#### *Amor optimum ad studia incitamentum.*

Athenis olim in vestibulo Academiæ posita palam exstabat ara Amoris, ut intelligerent ingressi, amorem ad studia afferendum. PAUSANIAS in *Attic.*

#### *Electo in coronatione suffocatus.*

In Alberti Imperatoris Austriacæ gentis secundi, cum Aquisgrani esset, coronatione,

tanta fuit multitudo, et compressio, ut Elector Saxo in turba comprimeretur, et suffocaretur. FELIX REINECKIUS, l. I. c. II. *ill. fem.*

#### *Ullio servi crudelis.*

Henricus Dux Ligninæ, Pinguis dictus, astu captus, dum in flumine lavat, nudus Hennio Duci Wrastlaviensi traditur a proprio servo, cujus patrem sceleris reum ante plecti jubebat. Is Hennius cognatum suum captum ferreae cistæ inclusit, in qua nec jacere, nec stare, nec sedere poterat, et erant in eâ tantum duo foramina, per quorum unum cibus ei dabatur, per alterum, ut nature satisfaceret; in hoc carcere dimidium a sordibus et vermibus prope exesus triginta millia marcarum argenti, et quinquaginta traditis urbibus se redemit. Idem l. I. c. II. *ill. fem.*

#### *Perfidia puilla.*

Creutum novem annorum bellum inter Fredericum III. Austriacum, cognomeno Pilehrum, et Ludovicum Bavarum, originem ab unius legati perfidia traxit. Cum enim in electione Imperatoris vota utrisque essent paria, anno 1300. cum Trevirensis, Moguntinus, et Rex Bohemiæ pro Ludovico starent, Coloniensis vero Palatinus, et Saxo pro Frederico, Brandenburgicus absens Waldemarus legatum misit Nicolaum Bokh cum litteris authenticis, quibus Imperatorem Fredericum nominaret. Legatus eraso Frederici nomine Ludovicum posuit. Inde bellum. Ipse autem redux fuit; nam a Principe in carcerem conjectus fame novo more fuit enectus. Jussit enim ad eum multos, ac pretiosos cibos afferri, quo constabat Nicolao sapere, sed nihil ei dabatur, et milites custodes eo spectante omnia absumebant; tandem fuit extinctus. *Ibid.* c. III.

Antonius Spinola qui a Genuensibus Corsicæ Prefectus, cum data fide in consilium ac simul in convivium multos Corsorum Principum vocasset, contra datam fidem caput omnibus ademittit; cujus perfidiæ justas penas luit, siquidem veneno a Corsis sublatas est. FULG. l. IX.

#### *Amazonum origo.*

Apud Scythas duo Regii juvenes, Plinos,

et Scolopythus (aliter Scolpithus), per factionem Optimatum domo pulsi ingentem juventutem secum traxerunt, et in Cappadocia ora juxta amnem Thermodontam consedere, subjectosque Themiscyrios campos occupare. Ibi per multos annos spoliare finitimos consuevere, conspersione populorum per insidias trucidantur. Horum uxores arma sumpserunt, finesque suos summoventes primo, mox inferentes bella defendunt. Nubendi quoque finitimis animum dimisere, servitutem, non matrimonium appellantes. Auxere Rempublicam sine viris, et, ne feliciores alia aliis viderentur, viros, qui domi remanserant, interfecit, ultionem quoque caesorum conjugum excidio finitimum consequuntur. Tum pace armis quæsitæ, ne gens interiret, concubitus finitimum inveniunt. Mares interfeciebantur, si qui nascerentur. Virgines in eundem ipsum morem, non otio, neque lanificio, sed armis, equis, ventionibus exercebant, inustus infantium dextris mammis, ne sagittarum jactus impedirentur: unde Amazones dicte sunt. Duæ Reginae his fuere, Marthesia, et Lampedo (alii Lampades), quæ in duas partes agmine diviso, inclytejam opibus, vicibus gerebant bella. Itaque majore parte Europæ subacta, Asia quoque nonnullas civitates occupare. Ibi Epheso multisque aliis urbibus conditis, partem exercitus cum ingenti præda domum remittunt. Reliquæ, que ad tuendum Asia imperium remanserant, concursu Barbarorum cum Marthesia Regina occidunt. In cuius locum filia ejus Orithya regno succedit, semper virgo, socia regni sorore Antiopa assumpta. Aliæ duæ sorores, Nenalippe et Hippolyte, ab Hercule captæ. Orithya Penthesilea successit. Tandem sub Minthea seu Talestri Amazonum nomen intercedit. JUSTINUS l. II.

#### *Servi imperium contra dominos vindicantes.*

Tyrii servis suis multitudine abundantibus indigna supplicia perpassi sunt, qui conspersione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiant. Atque ita potiti urbe, lares dominorum occupant, Rempublicam invadunt, conjuges ducunt. Unus ex tot millibus servorum fuit, qui miti ingenio senis domini parvulique filii ejus fortuna motus, dominosque non truci feritate trucidat-



vit, sed pia misericordia, ac humanitate res, pexid. Itaque, cum velut occisos alienasset, servisque de statu Republicæ deliberantibus, placuisset regem e suo corpore creari, cumque potissimum acceptissimum diis, qui solem orientem primus vidisset, rem ad Stratonem (hoc hero nomen fuit) occulte latenter detulit. Ab eo informatus, cum medio noctis omnes in unum campum processissent, cæteris in orientem spectantibus, solis occidentis regionem intuebatur. Id primo aliis videbatur furor, in occidente solis ortum querere; ubi vero dies adventare cœpit, editissimisque culminibus urbis orientis plaudere, expectantibus aliis, ut ipsum solem aspicerent, hic primus omnibus fulgorem solis summo fastigio civitatis ostendit. Non servilis ingenii ratio visa. Requirentibus auctorem, de domino confitetur. Tunc intellectum est, quantum ingenua servilibus ingenia præstarent, malitiaque servos, non sapientia vincere. Igitur venia seni filioque data est, et velut numine quodam reservatos arbitrantur, regem Stratonem creaverunt. Post cuius mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes, transit. Celebre hoc servorum facinus metuendumque exemplum toto orbe terrarum fuit. Idem l. XXVIII.

#### Triasigna amoris.

Francus quidam diserte docuit, tribus amor comprobari: *Primo, honorando amicum præsentem. Secundo, laudando absentem. Tertio, jurando egentem.* Incredibile enim est, quam afficiat, si intelligat se absentem ab altero, quem subinde suspectum habet, luculenter collaudatum. EXCELGÆ. p. v. Luc. Evang. f. 540.

#### Optimum quod præmium.

Pericles Dux, et orator nobilissimus, cum Republicam Atheniensem quadraginta annis feliciter et prudenter gubernasset, lenta tæbe consumptus, ad extremam vite lineam pervenit. Eique jam prope animam agenti præstantissimi cives, et amici, qui convenerant, virtutes bellicas, res gestas, ac victoriarum palmas commemorabant; quos interrumpens Pericles emortua voce: « Miror, inquit, hæc a vobis commemorari, quorum

partem fortuna, partem aliena industria, et militum robur sibi vindicat, et quæ pluribus ducibus obtigerunt, quod vero præstantissimum iudicio, prætergressi estis. Nemo ex omnibus civibus mei causa pullam vestem induit. » Voluit dicere, neminem unquam prudens aut volens læsi, nemini causam doloris, exacerbationis, aut afflictionis animi præbui. Idem.

#### Amoris insani ingeniosum inventum.

Insanus amor ingeniosus non ita pridem clepsydram efformavit. Puella amantis cineres, quem dum viveret, stulte deperierat, studiose collegit, atque intra vitrea vascula conclusit, horasque ad illos dilecti sui cineres, noctes, et dies lacrymando metiebatur: cui horologio hoc Christianum documentum pios Poeta adscripsit:

Irriquiele cinis, miseros testaris amantes,  
More suo nulla posse quiete frui.

Non cessabat nocte et die plorare ad hæc clepsydram mortem amantis, hominis mortalis. Ibidem f. 295.

#### Epitaphium Bucanani.

Hic jacet Veneris procus, anagrammate porcus,  
Tenebrio noctu diuque ebrio similis.  
Cui in vita virtus invita.  
Sola voluptas pia.  
Et in amoribus moribus fuit.  
Huic cælum libidinum obscænum cœnum.  
Et pollutum, lutum.  
Sed quæ misero sero sors obvenit?  
Quæ mors insecuta, secuta hunc porcum oreum, inquietis: quietis enim illius locum focum insignem ignem.  
Non in pace, sed in pice esse creditis, ditis.  
Hæc sors mors ei debita est, ita est.  
Ibidem, f. 27.

#### Vis magica artis.

Sub Carolo nono Gallorum Rege grassari hæresis cepta est, quam dum extirpare, et

#### Stratagemate mirabili urbs occupata.

regno expellere satagit, ipso in atatis flore contabescere, intemperis variisque cruciatibus agitari cœpit; malum omnem medicorum peritiam superabat. Dum tandem festo S. Bartholomæi deprehensa cerea imago, forma regia, in quam nefarii homines impie fuerant debacchati, quidquid punitionum ac vulnere huic cereo simulacro infligebant, donec tandem succubuit, et fatis concessit. Ib., f. 184.

#### Morsus male conscientie.

Dionysius Syracusanorum tyrannus tonoris metu tendere filias suas docuit, nec his adultis ferrum est ausus committere, sed candentium juglandium aut nucum putaminibus barbam sibi et capillos aduri jubebat; lectum quasi castra lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte adducto recipiebat. Ibidem.

#### Superbia tyrannica.

Horatius Turselinus scribit, Bajazetem Turcarum Regem anno a partu Virginis 1040. a Tamerlano Tartarorum Rege, celeberrima illa victoria (qua Tartarus, quidquid terrarum est a Tanai flumine ad Nilum, domuit) non modo victum captumque, et in cavea ferrea ad ludibrium asservatum, verum etiam coactum fuisse, coenante Tam. catena collo injecta, inter canes cibum sub mensa sumere, insuper insolentis atque post hominum memoriam inaudite superbie edidit argumentum. Etenim fama fert, Tamerlano equum consensuro, Bajazetem tergum præhuisse, et factu plane barbaro, huius cervicæ calcata, equum conscendisse. Ib., f. 527.

#### Idem.

Sapor Rex Persarum immani in Publium Cornelium Licinium Valerianum Imperatorem usus est, quem cum prælio superatum, cepisset, non solum veluti canem vincitum tenebat, verum tergo ejus etiam pro scamno utebatur, ut commodius in equum conscenderet. VULGOS, l. IX.

Urbs Atrebatensis hoc stratagemate a Burgundis occupata est anno 1492. Cum Atrebatum quindecim annis sub Francis genuisset, die quinta Novembris. dum Præfectus urbis Cardonius cum multis militibus Crevecœriam evocatus esset, Joannes Marius civis Atrebatensis, Grisardus vulga a canitie dictus, vir tenuis fortunæ, sed acris ingenii, suique Principis perstudiosus, hoc stratagemate usus est. Multis comotationibus perquam familiarem se reddidit Channio Franco, cui claves urbis commisit, et portas urbis claudendi ac reserandi provincia demandata erat. Jamque ita Channii animum occuparat, tantamque gratiam et fidem invenerat, ut Channio non semel ad pocula consistente ipse cum militibus urbis portas occluderet. Quod cum sæpius fideliter facitasset, quodam vesperare ad id muneris cum aliquot præditiariis progressus, ex conducto, in itinere a conjuratorum uno semipotum se simulante, et poculum vino plenum ostentante, intra, ut bibat, invitatur. Rogat Grisardus socios, ut paululum præcedant, se quam mox subsequaturum. Ingressus reperit ceream materiam paratam, cui claves imprimat. Sicque Grisardus ad portas tendit, claudit, et ut consueverat, ad Channium compotaturus accedit. Claves cera impressas mox conjuratus ille Duacum fabricandis defert, tertius conjuratus (hic dactor erat) Melunium, Vaudrejum, aliosque Burgundos ad stratagemata incitat. Stalo die 5. Novembris, Grisardus signum constitutum, tritam Atrebatæ cantilenam exorsus est, eam in vallo contenta voce alacriter Grisardo cantante. Durgundi ter placide faciebant; sed attendite, quam silenter: equorum soleis panno laneo suffultis, hinendi facillitate eis impedita procedebant. Atque ipso Grisardo tacente, ex conducto, consistebant. Vesper hora nona conjuratorum unus in turrim conscenderat (nam et hujus clavem expresserant) ac ferream campanæ linguam adstrinxerat, ne ad arma signum dari posset. Duo insuper vigiles in muris vigilabant, dum socii cum Francis conjurationis ignaris, largius vinum politantes, in porta excubant. Sub noctis duodecimam lictor ostium portæ Haigernæ clam aperit, et ad Burgundos adventantes contendit; omnia salva denuntiat, cantilene-



nam Grisardi dumtaxat observent, atque tesseram, quæ erat S. Georgii, tum D. Michaelis. Sicque ad suos cum tredecim Burgundis in urbem prorepti, qui signo dato portæ custodes invadunt, valvas nemine obsistente aperiant, Burgundos equites pediteque admittunt, Grisardo semper, jamque alacrius, concinente; atque ita sub tertiam matutinam Burgundi urbe potiti sunt, et septimo die Novembris Magistratus renovatur, omnesque conjurati in eum adlecti, Grisardo urbis Prætoro constituto. Ib. f. 473.

*Singularis filii in parentes amor.*

Mortui jam in cinere, seu igne, seu aliter abierant dulcissimi parentes Indi pueri, de quo Causianus in Symbolis l. III. 38. semper illi in oculis lacrymæ, in ore dulcia regique patris matris nomina perennabant, adeo ut lacrymæ in os fluentes dulcia illa nomina deprehenderent semper illic. Ingeniosum vero doloris stritagema fecit pius amor, quando in suo ipsius capite Regius puer vultus aperuit, dissimulatoque præ amore sensu doloris inhiante capitis vulnere paternos cineres, qua potuit, sepelivit ut semper aliquid patris ac matris secum haberet in capite. *Nadasi in ann. crucif. hebd. 29.*

*Verbera gratanter accepta.*

Augerius Busbequius refert, baculis adeo nonnunquam confusos Turcas, ut integras vitiate per verbera carnis fibras excindere debuerint et partibus percussis. Lictori tamen pro singulis verberibus percussi solvebant, et illum, cujus jussu percussi erant, redderant acturi gratias, et manus exosculabantur, fustem, quo cæsi sunt, aurum habebant, credebantque delapsam e caelo. Ibidem hebd. 42.

*Campana admiranda.*

Novam, et admirabilem Ramiri Regis campanam narrat Hispania, in qua rotundo circumgyro appendi curavit optimates, totidem veluti trophæos seu malleos, Rex, ad visendam inspectatam, novam, ac mirabi-

lem campanam Proceres alios invitavit. Hæserunt illi attoniti, dum inaudito spectaculo præstantissimos quosque et Procerum ordine viros in ferali illo et inusitato patibularis campanæ suspensio spectarent amici. Sonabat nimirum Ramiro pulsante, illa campana in Procerum animis, ut ne quis impune se contra Regem audere posset. Ibid. in ann. mor. hebd. 7. n. 7.

*Elephas ingeniosus.*

Cælius Rodiginus ait, se vidisse elephantem, qui in terra molli proboscide scribebat. Tevetus Cosmographus scribit rem a se auditam ut verissimam, et ab Indis recensitam, ut sequitur. Cocini, quadam Insula in Indiis attestatio exstat ante annos 30. (ait auctor, qui hoc opus vulgavit anno 1613), conscripta et excerpta per Notarium publicum a multis testibus: scilicet elephantem quemdam fuisse locutum, et cibum a magistro petisse, qui negavit se daturum, eo quod lebes, in quo coqui pro eo oriza solebat, aperta esset. Ergo animal vas illud ad fabrum cupitariam portat, qui unum foramen quidem obstruxit, aliud vero non advertit. Sed ubi magister vidit, ac invenit vas necdum aquam capere, elephas iterum ad fabrum illud refert. Sed ille foramen tantum obiter refecit. Cum elephas ad mare pergens infusa aqua explorat denuo vas et videns perfluere aquam, ad fabrum indignabundus redit: qui tandem seu metu, seu delectatione permotus vas integre refecit. Elephas ubi iterum eundem portum advenit, et vidit aqua vase contineri, signum dans grati animi, ad Magistrum refert, qui ei cibum denique paravit. *Loys. Groy. var. lect. t. II. l. III. c. xxx.*

*Alius magistri sui mortem ulciscitur.*

Indus quidam in Regno Guravit reperit parvum elephantem in palude, quatuor circiter menses natum, et a matre relictum, quem magna cura educavit per quinque annos, ac multas artes docuit, præ aliis docilem. Rex igitur elephantem ab Indo petit semel, ac iterum, qui tamen, quod animal id mire diligeret, distulit facere jussa. Et quia sciebat, Regem non destitutum postu-

lata urgere, cum elephante intra montes abscedit, sperans, Regem interea utriusque obliturum. Sed crevit inde Regis cupiditas in dies, quare comperto latibulo eorum, milites misit, qui eos caperent. At Indus cum elephante suo in rupes enititur, et inde pugnat, saxa in subjectos devolvens proboscide. Tandem cincti sunt, et Indus fuit sagittis confixus, et occisus. Elephas viso mortuo suo nutritio in medios sicarios irruit, et decem eorum occidit, totidem vulnerat, reliqui rem Regi nuntiant. Interea elephas magistri sui cadaver ad latibulum reducit, et ei adiacens omnia signa dat maximi doloris. Cumque Rex jam multo plures mitteret ad elephantem ad se adducendum, reperiunt eum misere vociferantem, neque tollere possunt, neque efficere, ut a cadavere discedat, verbis, ac promissis omnibus irritis, sed nec minis nec verberibus quidquam possunt. Denique juxta magistrum suum extinctus est, omni cibo repudiato. Ibidem.

*Simii collusores, et combibones.*

Visi sunt simii in novo orbe aliqui cum Barbaris pro pecunia ludentes, et in lusu victores ad popinam collusores suo invitantes, et lucro parta pecunia potum solventes. De uno narrat Ens. Nieremb. hist. nat. l. IX. c. xiv. Cum aliquando militibus colludentibus adstant, omnia observasset, et ab eo, qui plus lucratus erat, nummulum exorasset, mox accepto poculo ad tabernam vinariam properasse, poculum cœnopole obtulisse, et data pecunia vino plenum ebibisse; cumque supererat pecunia, ut vice altera vino impleteret, vas obtulisse, atque haustum vinum bibisse iterum atque iterum, donec de pecunia, qua solveret, nihil superesset. Ibidem.

*Alterius fidum ministerium.*

Alius ab hero ad cœnopolum cum poculo, et pecunia missus, nonnisi impleto poculo pecuniam exhibebat; donec domum rediens nec quidquam ex illo, etsi vini admodum appetens, gustavit, sed hero fideliter retulit, infectantes per plateas pueros lapidibus arcebat. Si quando occurrerent curiosius ornata circa caput mulieres, in eas irruerat, cri-

nium turres revelebat, totumque illum mundum, et ornatum muliebrem detrahebat. Ibidem.

*Canis vindictæ minister.*

De cane scribit Dithmarus Episcopus, qui in aula Henrici Imperatoris Aucupis dicti, in mediam se multorum hominum turbam suspensio gressu inferens, unius de turba minime cogitantis manum arreptam non prius dimisit, quam præmorsam dentibus avulsit; atque ita tamquam re bene gesta, ad suos capite, et cauda sibi plaudens rediit mirantibus id aliis, fassus est homo ille, divinam hanc voluntatem; se enim herum canis alicubi in via demorantem, malo impulsu genio occidisse, atque tum quidem pugnantis pro domino canis rabiem evadere potuisse, nunc vero nihil minus, quam de cane cogitante cognitum pœnas dedisse. Ibidem.

*Alius nuntii munus obiens.*

Alius in urbe Lovanio litteras collari insertas, et aptatas, signo ab hero accepto, cursum Bruxellas deferebat in notam ibi domum terranque, atque ibi religabat, canem pascibat, litteras a se aut aliunde acceptas iterum inferebat, et fidelissimi, sed et celerissimi nuntii vice canis eodem die referebat. *Lupsius in ep. 44.*

*Alius canis bojulus.*

Bruxellæ inquit Lipsius, me puero, canis fuit Britanni generis, ex illis grandioribus, quibus cerdones uti solent ad currum corris onustum in forum, et foro trahendum. Ille præter hanc operam doctus fuit ad macellum ire, pecuniam ferre, carnem referre. Id fiebat in hunc modum: corbem collo appendebant, pecunia in tot libras carnis imposita. Ille recta et nusquam resistens ferebat, in macello apud notum lanionem se sistebat, carne accepta redibat; sed eveniebat interdum, ut in via canes alii odore moti quasi erepturi accederent; tum ille corbem deponere, in orbem depugnare, fugare, et si copia et robore vinceretur, una irruere, et partem de præda capere. Ibidem.



*Alterius fides in occisum herum.*

Idem Lipsius refert de cane, ut sequitur. Emulus aulicus Galliæ Regis æmulum ex insidiis cæsum in avio agro sepelit. Venaticus canis tunc heri comes diu sedit in tumulo; post fames pietatem superavit, atque in aulam sine Domino reversus est; rati illius contubernales, canem temere vagari, cibum ei dari jubent, satur ille ad tumulum redit, it, redit toties, ut primum suspicio invaderet animos, heri desiderio id fieri; abeuntem persecuti, cadaver effossam, sepultura afficiunt. Canis exequiis peractis, socius fit eorum, quibus fuerat dux ad investigandum. Tandem aliquando in aulam ubi homicida redisset, canis eum conspicatus, allatrat, et vix ab impetu cohibetur; unde aucta in hominem cædis suspicio, constantia autem canis Rex permotus, jubet hominem causam dicere. Negat ille. Canis orationem negantis latratus, et assultibus interpellat; nemine de cædis auctore jam dubitante, eo res deducta est, ut jussu Regis homicida cum procuratore cane singulari certamine dimicaret. Picta est canis victoria in cœnaculo quodam regii palatii Parisiis. Idem *cent. III. ep. XLIV.*

*Fames carne matris pulsa.*

Octennem puerum vidit in Transylvania vir illustris Sigismundus Samagasthenus assidere cadaveri, in quo carnis nihil, nisi in pedibus, manibus, ac capite superfuit. Rogatus, cujus esset illud corpus, respondit, matris fame enectæ, cujus ipse urgente fame cum canibus carnes edisset, esurus, nisi Deus, aliter jvaret, etiam reliquum. Quo cognito dominus ille misericordia motus, eum puerum pone se sustulit, et domum suam asportavit. *Pedag. l. cit., t. VI. sect. VII.*

*Camelus saltans.*

Vidi, inquit auctor, Parisiis camelum saltantem, qui ad hunc lusum ita fuit institutus. Camelus adhuc pullus in locum fuit ductus, instar hypocæusti, ubi per dimidiam horam detinebatur pavimento probe calc-

facto. Interea unus quispiam pulsabat tympanum. Tunc camelus non ob sonum, sed ob calorem pavimenti pedes attollebat saltantium in morem. Ita per decem menses, aut annum integrum assuefactus, ubi ductus est in publicum, quam primum audii tympani sonitum, saltare cepit. *Loys Gyl., l. c., l. IV, c. XXII.*

*Leones formidant gallos.*

Leonibus gallos gallinaceos esse formidini, exemplo constat. In Anglia enim Elisabetha Regina id volens experiri duos gallos leonibus addidit; sed intra decem aut duodecim dies leones ita sunt emaciati, et timidi redditi, ut crederentur morituri. Galli contra pinguescebant, et nihil leones timebant. *Ibidem, l. IV. c. XXVII.*

*Detestanda hostis in hostem solertia.*

Vesontio civitas est in Sequanis, et ampla et elegantia ædificiorum illustris, tecta domorum fastigiata, et declivia quam maxime. Artifex cum hujusmodi tecto instruendo daret operam, respectans forte in subjectum vicium, adventare prospicit hominem, in quem odio flagrabat. Et, o inventum non humanum, sed maxime inhumanum, ac ne hominis quidem, sed Diaboli! Ut perderet, quem habebat exosum, et impune perderet, citra forensis multæ discrimen, ubi loco, in quo laborat ipse, subjacere hostem suum vidit, ultro casum fortuitum simulans, per tectum, et sugrundia in virum dejecit sese, mole corporis inimicum obrituras; quod, et fecit, fere illesus ac incolumis: nam suppositum hostis corpus ruentem illisiones prohibuit, sed non absque oppressione sua et contritione. Quis stropham in tanto ruentis discrimine suspiicaretur, aut quis hominem sanum ultro adire tale exitii sui periculum crederet, tantum ut inimicum obterat, obtendens ipse, et in corporis, ac animæ exitium ruiturus, si tantillo spatio hostem antevertisset, vel subsecutus esset, prolabens? Adeo tam affabile, et feliciter hic planus libravit dejectionem, ut omnia ex voto cesserint. Et Magistratus a cognatis cæsi interpellatus, quo nequitie impactæ reum revinceret, non habuit.

## CATALOGUS

## HISTORICORUM CELEBRIORUM,

## ORDINE ALPHABETICO COGNOMINUM CONCINNATUS.

## A.

Sanctus Antonius, patria Florentinus, Ordinis Prædicatorum, ac postea Florentiæ Archiepiscopus, vir doctissimus et sanctissimus, obiit anno Domini 1459. ætatis sexagesimo, quem in Sanctorum catalogum retulit Hadrianus VI. Pontifex.

## B.

I. Baronius Cesar, S. Rom. Eccl. Cardinalis, virtute et doctrina celeberrimus Antistes, scripsit, dum adhuc Congregationis Oratorii Presbyter erat, Annalium Ecclesiasticorum tomos duodecim, quos Sixtus V, tanti aestimavit, ut nec addi quidquam, nec demi vulerit; sed et alii passim judicium, sinceritatem et accuratorem in iis admirantur.

II. Bartoli Daniel, Soc. Jesu, natione Italus, historiam Societatis Italice, Asiam vero et Europam pluribus tomis scripsit; sed et vitas S. Ignatii, et S. Francisci Xaverii, et P. Vicentii Caraffe.

III. Beda Venerabilis in Britannia ex Anglo-Saxonum genere oriundus, in Girvensi territorio non longe a Tinae fluminis ostiis natus est anno 673. A puero Monasticam vitam amplexus, in ea per multos annos perseveravit sub Benedicto et Ceolfrido Abbatibus Monasterii BB. Petri et Pauli ad Tinam Diocesis Dunelmensis, vulgo appellatus Presbyter Anglus, ac Venerabilis; obiit anno 735. die 16. Maii. Scripsit historiam suæ gentis, et variorum Sanctorum vitas.

IV. Boetius Hector Scotus scripsit libros 17. historię Scotiæ. Scripsit etiam descriptionem Regni Scotiæ, et Regum Scotorum.

TOMUS V.

V. Bollandus Joannes, natione Belga, S. J., instituto epistolari commercio cum viris tota Europa litteratis, subsidia operis undique conquisivit obtinuitque, ut latentia in regionibus etiam dissitis acta Sanctorum ad se transmitterentur. Nactus deinde vastissimi operis, quod designabat adjutorem Godefridum Henschenium, emisit in lucem primo acta Sanctorum Januarii, tum Februarii, quinque tomis prægrandibus; qui omnium ubique eruditorum admirationem tenuerunt et applausum.

## C.

I. Cassidorus Magnus Aurelius Senator, consulatum anno Christi 514. solus gessit, et Theodorico, Ostrogothorum Regi, ejusque ex filia nepoti Athalarico charissimus fuit, a secretis eorum atque epistolis, ex quibus conflati sunt Variarum libri 12. Vivebat adhuc anno 562, nonagenario major, obiitque circa hoc tempus in suo Vivariensi, sive Castellensi, prope Scyllitanam urbem, in Calabria Monasterio, quod extruxerat, ac referta libris optimis Bibliotheca ditaverat. Scripsit tripartitam historiam, quam ex Grecis auctoribus Socrate Sozomeno ac Theodoro per amicum suum Epiphanium Scholasticum Latine redditis, concinnavit.

II. Calixtus Nicephorus, historicus Græcus, vixit tempore Andronici Senioris Imperatoris, cui dedicavit historiam suam; proinde vixit post annum Domini millesimum trecentimum. Historia, que nunc exstat Nicephori Calixti, continetur libris octodecim, et incipit a Nativitate Christi, ac desinit in annum ejusdem 625.

III. Choniates Nicetas floruit post annum

8



1200. Scripsit enim historiam, quae exstat Graece et Latine, ab anno 1118. usque ad annum 1205. id est, ab Imperio Joannis Comneni, Alexii filii, usque ad obitum Balduini primi Latini Imperatoris Constantinopolitani.

IV. Curopalates Joannes Scylitzes, dignitate atque officio Curopalates, vixit extremo Christi saeculo undecimo sub Alexii Comneni Imp. initia. Scripsit historiam ab anno 823. usque ad 881.

## D.

Daurolius Antonius, S. J., natione Belga, scripsit Catechismum historicum, seu Flores Exemplorum ex SS. Patribus et historia Ecclesiastica collectos. Tempus omne suum utilissimis transegit operibus. Totis novem annis bis quot septimanis Monachorum conobium adire fuit solitus, excipiens ipsorum confessionibus, et magnis incrementis disciplinam monasticam apud eos pietatemque promovit. Sanctorum statuas, ea regione quam multis in locis Haereticorum scelere aut deturbatas, aut communitas, ut publica auctoritate impensaque resisterentur, effecit suadendo, magna proborum voluptate, et divini cultus propagatione non mediocri. Dum Catechismi sui tertium volumen prelo subiceret, est gravi membrorum sopore occupatus et imbecillitate memoriae tanta, ut repente omnium oblivisceretur; quibus malis spatio trium annorum discussis, senecta morboque victus religiosam animam exhalavit.

## E.

Evagrius Scholasticus, Epiphania Syriae urbe oriundus, post Eusebium, Socratem, Sozomenum, atque Theodoretum, *libros sex Ecclesiasticos* conscripsit *historia*, ab anno circiter 431. quo Nestoriana impietas in Concilio Ephesino damnata est, usque ad annum 597. Mauritii Imperatoris 12. ut ipse in fine narrat; ubi etiam asserit scriptum a se aliud quoque opus fuisse, quod Relationes, Epistolas, Decretas, Orationes, Disputationes, resque alias ejusmodi complectebatur, sequae duos honoris gradus consecutum, et primum quidem a Tiberio Constantino ad Questuram erectum, tum a Mauritio munus adeptum servandarum Tabularum, in quibus non tan-

nomina, quam ipsa Praefectorum acta inscribentur.

## G.

I. S. Gregorius Papa sanctissimus, et Doctor eximius et merito Magnus appellatus, floruit, Justini Maurii et Phocae temporibus, et anno decimo quarto Pontificatus sui, salutis autem sexcentesimo quarto obiit. Scripsit dialogorum libros quatuor, passim citari solitos.

II. Gordonus Lesmoreus Jacobus Scotus, S. J., SS. Theologiae Doctor, doctrina, eruditione et vitae probitate praecellens, scripsit opus chronologicum, annorum seriem, Regnorum mutationes, et rerum toto orbe gestarum memorabilium seriem, annumque a mundi exordio ad nostra usque tempora complectens, tomis duobus; item opuscula tria, Chronologicum, Historicum, Geographicum tertius curis aucta.

III. Gretserus Jacobus Germanus, S. J., patria Marchdorfensis, Acronitanus, fortissimus athleta, ac vigilantissimus veritatis defensor, magnus Lutheranorum domitor, ac malleus Haereticorum, et calumniatorum Societatis terror, cui laus ingens est in Ecclesia Dei, cujus scriptorum veritatem; multitudinem, eruditionem jure miramur. Unde Senatus Marchdorfensis, quo in oppido natus est, quando non potuit corporis effigiem comparare, animi saltem effigiem, omnia ipsius opera publico aere comparata, eterno monumento, in curia sua ad posterum servanda reposuit. Scripsit P. Jacobus praeter innumera alia diversi Ordinis historias Bambergensium et Eusletensium Tutelarum.

## H.

Hieronymus, Stridone in Dalmatia Panoniaeque confinio, patre Eusebio natus est circa annum 329. Romam cum Bonoso veniens, Donatum audivit, atque in adulta jam aetate Baptismum suscepit; in Gallis inde profectus multisque peragratis Graeciae Asiaeque provinciis, constitit in Syriae eremo monasticam vitam agens, Antiochia a Paulino anno 278. presbyter ordinatus. Inde Romam reversus anno 382. Damaso Papae adfuit in scribendis epistolis, eoque mortuo, anno 385. Roma discedens navigavit in Syriam, et media ferme hyeme Jerosolymam intravit anno

sequenti. Aegypti monasteria lustravit, per duos menses. Didymi auditor Alexandriae fuit. In Bethlehem tandem migravit, ibique in monasterio scribendo et commentando consenuit grandi admodum aetate usque ad diem 30. Septembris ann. 420. Theodosii junioris 13. aetatis 91. quo ex hac vita migravit. Scripsit plures vitas antiquorum Patrum, praesertim S. Pauli Eremitae, Hilariionis, Malchi, etc.

## J.

Josephus Flavius, Matathiae filius, matrumgenus ex Asmoniorum stirpe deducens, secta Pharisaeus, ac Sacerdos, dux belli ac miles, historicus et scriptor, natus anno Christi 37. Caii Caligulae Imperatoris Romanorum primo; captus in castro Jotapata anno Christi 68. Vespasiano mortem Neronis atque Imperium praedixit, ductusque Romam, ac benevole habitus, animum ad scribendum appulit, tum res suo tempore gestas, tum Judaicas origines a primo usque aeo. Vixit saltem usque ad extrema Domitiani tempora, annumque mortem Christiano 93. Olympiadis 218. Scripsit antiquitatum Judaicarum libros 20. ab exordio mundi et prima hominis creatione usque ad annum Neronis Principis duodecimum, Christi 66. Item de bello Judaico libros septem.

## M.

I. Maffeus Joannes Petrus, Italus S. J., vir, si quis alius nostro saeculo, Latine Italiceque scribendi peritus, scripsit perelegantem stylo historiarum Indicarum libros 16. vitas S. Ignatii libros tres, de Japonicis rebus libros 5. septemdecim quoque Confessorum vitas.

II. Martinus Martinus, Italus S. J., bis in Sinas non sine gravibus vitae periculis et itineris molestiis profectus, scripsit opus laudatissimum, Atlantem Sinensem, seu descriptionem Imperii Sinensis. Item Decadem primam Sinensis historiae. S. B.

## N.

I. Naucerus Joannes, praepositus Tubigenis, vivebat anno 1500. Scripsit ingens chronicum, continens res memorabiles ab initio mundi usque ad annum Domini millesimum quingentesimum. Opus distinguitur in duo

volumina; et primum quidem continet generationes 63. ab Adam usque ad Christum; alterum continet generationes quinquaginta et unam.

II. Nadasi Joannes, natione Hungarus, S. J., scripsit mortes illustrium heroum Societatis, et plures ejusmodi historias ad eandem pertinentes. B. S.

III. Nierbergius Joannes Eusebius, Hispanus S. J. vir non minus sanctitate vitae, quam doctrinae et eruditionis fama clarissimus; sicut historiam naturalem 14. annis decuit, ita praecclaros quoque de illa commentarios vulgavit, sed et vitas virorum illustrium S. J. magna accurate conscripsit. B. S.

## O.

I. Orosius Paulus, Presbyter Hispanus, Tarrascone ortus, S. Aug. discipulus, vir eloquens et historiarum cognitor, floruit initio quinti aere Christianae saeculi sub Honorio Imperatore. Circa ann. 415. a S. August. in Palaestina ad S. Hieronym. missus pro discenda animae ratione, cum rediret anno 416. repertas paulo ante S. Steph. protomartyris reliquias primus intulit occidenti, et in African secum deportavit innumerabilibus miraculis, quibus Lutheranæ, Meminiana, ac Calvinistica impietas invictissime atteritur. Scripsit historiarum ab exordio mundi libros septem usque ad annum Christi 416. ad S. Augustinum Hipponensem Episcopum cujus hortatu opus illud fuerat aggressus adversus querulos et infamatores Christiani nominis, qui dicebant defectum Romanae republicae Christi doctrinae invectionem.

II. Orlandinus Nicolaus, Italus S. J., litterarum laude apprime floruit cultu Latine limatoque orationis. Hinc Neapoli evocatus Roman ad scribendam Societatis historiae anno 1598. quamvis valetudini dissideret, et longa styli intercepto terret, arduam tamen provinciam libens accepit, tantum ex obediendi studio sumebat animi ad conandum. Medio in cursu gravissimo implicitus morbo succubuit. Jamque vitam ejus omnes desperaverant, praeter ipsum, qui cum tantum usure lucis expetere, dum Generalatum S. P. N. Ignatii, quem singulari pietate ob primorum memoriam Patrum colebat, exqueretur, visus est voti compos effectus; valetudinem enim recuperavit, opus intermis-



sum repetiit, et proxime ad metam perduxit: tum rursus languore prostratus necessitati religiose concessit Romæ, anno Domini 1606. die 17. Maii.

## P.

I. Parisiensis Matthæus, natione Anglus ac Monachus in Cœnobio S. Albani O. B. Congregationis Cluniacensis, ut ferunt, scripsit notam cunctis historiam Anglicanam, quam primum perduxit ab anno 1066. usque ad annum 1259. Ipsemet deinde continuavit usque 1259. quo vivere desit.

II. S. Prosper Aquitanicus, S. Augustini, ut nonnulli volunt, discipulus, certe doctrinæ ejus solertissimus ac nervosissimus defensor, laicus fuisse creditur, ac conjugio implicatus. Scripsit integrum Chronicon ab Adami, mundi que ortu ad annum 4555. cum adnotatione Consulium Romanorum, a duobus geminis Consulibus et anno Christianæ æræ usque ad Valentini Augusti VIII. et Anthemii Consulatum.

## R.

I. Ribadeneira Petrus, Hispanus S. J., scripsit vitas Sanctorum, et etiam nostrorum aliquot, puta S. Ignatii, P. Jacobi Laynez, P. Alphonsi Salmeronis, S. Francisci Borgiae.

II. Rosweidus Heribertus, Belga S. J., vir antiquitatis peritissimus, scripsit historiam Ecclesiasticam a Christo usque ad Urbanum VIII. Vitas Sanctorum et Vitas Patrum notis illustravit.

## S.

I. Sacchinus Franciscus, Italus S. J., unde viginti annos in historia Societatis conscribenda consumpsit, cujus quatuor posteriores partes post primam ab Orlandino scriptam feliciter absolvit. S. B.

II. Sallianus Jacobus Gallus, vir vite integritate et indefesso labore conspicuus, scripsit celebre Annalium Ecclesiasticorum opus, et seorsim Epitomen seu medullam ex illis collectam.

III. Strada Famianus, Italus S. J., Historicus tota Europa celebris, scripsit de bello Belgico tres Decades; quos cum Uladislaus IV. Rex Poloniae ac Sueciae legisset, datis ad P. Mutium Vitellescum, Præpositum Generalem, litteris: « Armorum, inquit, motus in Belgio

singulari cultoque stylo ad sinceræ veritatis historiam expositi a P. Famiano Strada tanto omnium Ordinum plausu excepti sunt, ut homines profecto non desinant, aut hosce annales admirari, aut eorum continuationem ardentius exposcere. Nos, qui eos singulari voluptate legimus et admirati sumus, nec minus quam alii idem exoptamus, haud necesse, quantum et circumspectio in homine tante existimationis, et virtus fugiendae publicæ laudis, eum ab hac continuatione rememorata sit. Idcirco nostris hisce litteris P. Vestram compellavimus cupientes ab ea operam adhiberi, ut ea non omittat, quæ supersunt, in lucem edere, ad hujus sæculi gloriam, ad Societatis laudem, et Scriptoris famam, etc. »

IV. Sulpitius Severus, æqualis et amicissimus fuit S. Paulini, ut notum est ex epistolis invicem scriptis. Scripsit libros duos de sacra historia. Item vitam S. Martini Turonensis. Item dialogum de conversatione Orientalium Monachorum.

V. Silvius Aeneas, patria Senensis, vir doctus, prudens, et magni animi, ac primum a secretis Imperatoris, deinde Episcopus Senensis, tum Cardinalis, denique summus Pontifex Pius Secundus, dum expeditionem magnam adversus Turcas Christiani nominis hostes moliretur, obiit anno Domini 1464. Scripsit de rebus Ecclesiasticis contra Thaboritas librum unum.

## T.

I. Trigantius Nicolaus, Belga S. J., missionarius Sinensis, scripsit historiam de Sinensi expeditione, item Annales Sinenses, ac Christianos triumphos in Japonia. B. S.

II. Trithemius Joannes, natione Germanus, Abbas Spanhemensis, Ordinis S. Benedicti, vivebat anno 1500. et obiit anno 1529. ætatis suæ 57. Scripsit opera plurima, sed notiora sunt historica, quæ simul edita sunt Francofurti anno 1600. Scripsit igitur de illustribus viris Ordinis S. Benedicti, de scriptoribus Ecclesiasticis.

## Z.

Zonaras Joannes, monachus Græcus, scripsit lib. 3. Annalium, quibus complexus est historiam universalem ab orbe condito usque ad obitum Alexii Comneni Imperatoris Græcorum, qui obiit anno Domini millesimo centesimo decimo octavo.

# INDEX CONCIONATORIIUS

## IN EVANGELIA FESTORUM ET DOMINICARUM.

Ut Index iste tanto magis servare possit lectori, tria circa eundem breviter præmonendum censui.

Primum est, me, dum fusiis nonnihil materiam pro concione aliqua digessi, non ea intentione id fecisse, quod velim, Concionatorem adstringi conceptu a me designato, sed ut leviori aliquo modo redere laborem iis, qui majorem in ejusmodi conceptibus digerendis difficultatem experiuntur: unde quibus conceptus ejusmodi non placet, poterunt solam in illo conceptu virtutem, vel vitium assumere, et pro suo genio formam concionis ex locis pro tali conceptu designatis disponere.

Alterum est, ut meminerit Lector illius modi, quem Instructione VII. optimum, et facillimum esse dixi in concionibus formandis, scilicet 1. Scopum aliquem practicum seu in quotidianos usus venientem, v. g. vitium aliquod, aut virtutem, eligat. 2. Illius sensum bene declaret, v. g. in quo virtus aut vitium illud consistat, aut quomodo exerceri, vel vitari debeat; ostendat. 3. Unam vel alteram rationem popularem, cur doctrina talis praticari debeat, afferat, eandemque auctoritate S. Scripturæ, SS. Patrum, similitudine, vel eruditione confirmet. 4. Historiam etiam aliquam inserat, si placet, qua Auditores magis ad eandem praxim incitentur. 5. Interdum objectionem quoque unam, vel alteram, qua Auditoribus contra talem doctrinam facile occurrere possent, proponat, et apte solvat. 6. Denique fervente, et apto epilogo Auditores ad practicandam talem doctrinam excitet, et impellat: ad quem finem copiosam illi quivis titulus materiam suggeret, aut præter electionem doctrinæ nulla propemodum re alia ei opus sit futurum.

Tertium est, ut, quando tam in hoc Indice quam in ipso contextu Bibliothecæ inter conceptus aliquos practicabiles assignavero Allegoriam aliquam, sciat, neutiquam me velle, ut Concionator in illa Allegoria probanda immeretur, sed ut ea per modum acus, qua filium doctrinæ introducat, usurpetur, atque adeo ut potissimus labor in ipsa doctrina probanda, et inculcanda impendatur; alioqui enim sterilis erit Concio, et nullum alium fructum, nisi quod hunc vel illum Sanctum ingeniose, et apte huic vel illi rei comparatum fateri debeat, reportabit Auditor, quod utique est contra finem, et institutum Concionis.

### PRO FESTO CIRCUMCISIONIS.

I. Et vocatum est nomen Jesus. Lvc. ii. Potest donari Auditoribus SS. nomen IHS pro Xenio, et Clericis quidem littera I, juvenibus S, cum variis doctrinis ipsorum Statui congruentibus offerri, ut videre est tit. Christus, et in Instruct. mea VII. in concion. pro anno.

II. Ex eodem themate potest SS. Jesu nomen Oleo comparari juxta illud Cant. i. Oleum effusum nomen tuum: et fructus ex invocatione hujus SS. Nominis reportari soliti demonstrari; de quo vide tit. Christus.

III. Potest idem ostendi, quomodo annum novum bene inchoare debeant, scilicet duas facies a Jano (a quo Januarius dictus est) mutuando, per quarum priorem uno oculo respiciant ad accepta priori anno beneficia: